In libro qui dicitur paradisus narrat de quadam virgine que dicebatur juliana, que videns Origenem metuentem sediciones paganorum et fugientem per biennium ipsum suscepit et celavit ministrans necessaria quam instruat. Narrat insuper Jeronimus epistola ex de quadam virgine, que a beato Martino noluit videri cum tamen ipsa desideraret visitare tamen moribus et caritate preclaram. Cum ipsa beato Martino presentasset ... dixit Ora inquit pro me quia vicco numquam fui visitata, gratias itaque egit sanctus Martinus eamque benedixit. Aliquid narrat eciam idem Jeronimus epistola 89 quod cuidam virginis parentibus cepit habitum virginis ut mente permutare posset, volebat enim quod nuberet sed eadem nocte sibi apparuit angelus inferens minas et dicens Quomodo inquit ausus es impium preferre Christo. Nam virgines Christi sponse sunt et sequuntur agnum quocumque ierit. Super quo Augustinus libro de bono virginali Gaudia inquit virginum sunt de Christo in Christo per Christum propter Christum. Et idem Augustinus epistola 128 Revera inquit est in carne imitari vitam angelorum, qua ex carne augere numerum mortalium. Nam uberior est felicitas mente grandescere quam ventre intumescere, oroibus candidum parere quam in visceribus fetum enutrire. Unde Gregorius in dyalogo libro quarto de virginibus narrat qualiter deo placuerunt. Nam de

Tarsilla narrat qualiter duas sorores habebat, que cum visitaret ipsam ait, recedite inquit quia meus sponsus Jhesus venit. Ibidem eciam narrat de quadam puella que dicebatur Musa, cui beata virgo cum pueris apparuit, dicens et querens ab ea an sibi servire vellet. Que respondit quod sic. Tunc beata virgo sibi precepit ut omnes mores pueriles dimitteret, que sic fecit, et ad tantam maturitatem devoluta est, ut virginum exemplar efficeretur. Ex hiis igitur patet quantis laudibus virginitas antiquitus floruit. Unde Deutero. 22 precipitur virgo corrupta lapidari nisi per violenciam clamasset. Insuper apud Saxones lex olim fuit ut virgo sponte deflorata viva sepeliretur et violator super ipsam suspendi debebat. Item apud barbaros lex fuit ut virgo fornicaria seu sponte constuprata de monte altissimo precipitaretur eius quod violator capite plecteretur. Insuper in prologo historie Romanorum legitur de quadam, que cum genuisset filios secundum legem viva sepulta fuit. Ex quibus omnibus satis patet quanto studio virgines se custodire debeant. Nec tamen blandiciis, nec muneribus seducantur. Unde Ambrosius libro primo de virginitate narrat de quadam virgine Pittagorea que tante fuit constancie ut tormentis non

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/hs161/0292
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg